

1245. defuncti. Prior praemissis currente calamo Indicibus orditur: *Quoniam sicut dicit boetius in li. de trin. optime dictum videtur. eruditi est hominis &c. et finit: diuinitatis cui honor et imperium per infinita secula seculorum. Amen.* Initium Libri II. est: *Completis tractatibus de his que pertinent ad speculationem dei &c. et finis: ne cerimonialia tanquam ydolatriam gentium dampnare crederetur.* Igitur uterque integer, ut docuit Collatio cum Edit. *Veneta* 1576. T. IV. f. in qua multa uocum compendia nimium religiose conservata sunt, v. g. statim linea 1. *supracit. in loco videtur.*

## DLXX.

U. 417 Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 227. f. maj. per duas columnas nitidissime exaratus, rubricis distinctus, quem, ut praenotatur, *cum quibusdam aliis insignibus voluminibus numero 17. liberali ac magnifica donatione inter vivos donauit ad librariam Collegij ducalis Wienne M. Andreas de weytra Theologie professor nec non canonicus ecclesie sancti stephani &c. completitur Partem III. et IV. Summae Theologicae Alexandri Hales, sive Alensis, cujus tamen nomen nullibi exprimitur, ex O. M. Angli Viri ingenio acutissimi, in Academia Parisina titulo Doctoris Irrefragabilis condecorati, Thomae Aquin. et Bonaventurae Magistri, et anno 1245. uivis exenti, de quo plura apud Waddingum, Tammerum*

&c. Prologi Partis III. initium est: *Tota christiane fidei disciplina pertinet ad duo &c. ut in iteratis Editionibus inde a Veneta 1475. Ad calcem adest Quaestionum Elenchus. Prologus Partis IV. incipit: Dictum est supra de redemptore qui est per gratiam reparator &c. Verum haec Pars situ multum uitiata jam Quaest. X. Membri V. Art. 3. §. 7. Consequenter queritur. Vtrum hec conuersio seu mutatio (Substantiae Panis et Vini) sit successiua an subita &c. abrupta est.*

## DLXXI.

Codex membranaceus lat. Sec. U. 416 XIV. Folior. 258. f. per duas columnas nitide scriptus et rubricis ornatus est ejusdem Summae Pars III. licet Autor neque in hoc Exemplo adpellatur. Praeit Quaestionum Elenchus. In fine autem sustulit Librarius manum cum uerbis: *ut in medico cum sanat et in predicatore cum bedificat.* Igitur ultimae Quaestiones LXVIII. et LXIX. defunt, id, quod recentior manus ita signavit in margine: *Deficit tractatus de speciebus uirtutum scilicet tribus theologicis quasi totus sexternus. Sumtum est istud ex ingressu Quaest. LXVIII. ubi Alexander ipse: Primo agatur de uirtutibus Theologicis — consequenter uero de uirtutibus Cardinalibus.* Verum ultra Fidem nec in hac, nec in sequenti Parte progressus est.

Codex noster olim datus est Facultati Artium Studii Colonienfis a Gofwino